Diplôme de licence de droit.

Numéro d'inventaire : 1979.36429
Auteur(s) : Jean Joseph Pagès du Chaufour
Type de document : diplôme
Éditeur : non renseigné (Valence)
Période de création : 4e quart 18e siècle
Date de création : 1788
Description : Feuille de parchemin, brunie et tachée. Bord inférieur replié avec deux perforations pour le ruban du sceau. Sceau manquant. Coin supérieur droit corné. Une déchirure sur le bord droit réparée au moyen de ruban adhésif. Texte imprimé avec mentions manucrites et timbre de quittance à l'encre noire. Lettrine. Inscriptions manuscrites à l'encre au verso.
Mesures : hauteur : 272 mm ; largeur : 342 mm
Notes : Diplôme de licence en droit civil et canon délivré à Jean Pagès du Chaufour le 1er août 1788 à Valence. Le document est signé du vice-chancelier de l'université. Au verso, le visa du premier avocat général au parlement de Paris, à qui ont été présentés ce diplôme, l'attestation de l'examen de droit français daté du 1er août 1788, et une attestation de l'avocat général au parlement de Grenoble du 20 octobre 1788. Ce visa est daté du 24 novembre 1788. Un second visa, peu lisible, daté de 1788. Un troisième visa du procureur général impérial près la cour d'appel de Paris daté du 3 novembre 1808.
Mots-clés : Diplômes universitaires
Droit et sciences économiques
Filière : Université
Niveau : Supérieur
Nom de la commune : Valence
Nom du département : Drôme
Autres descriptions : Nombre de pages : 1
Lieux : Drôme, Valence



CAPITULUM ECCLESIÆ CATHEDRALIS VALENTINENSIS, in alma Universitate Valentina Cancellarii vices gerens, Sede Episcopali vacante, & ab eodem Capitulo Vice-Cancellarius constitutus clarissimus Vir ANTONIUS D'AURELLE, Presbyter Sacræ Theologiæ Doctor, necnon Decanus dictæ insignis Ecclesiæ: Omnibus hoc diploma lecturis, SALUTEM IN CHRISTO-JESU. Sapienter à majoribus nostris comparatum est, ut studiosissimis adolescentibus, qui bonam operam in utriusque-Juris studio complures annos navassent, honores haberentur, & præmia quædam iis publicè in omnium Juris-Consultorum conventu decernerentur. Nam ut præclarè ab antiquis dictum est, honos alit artes, præmiumque virtutis honos esse debet. Neque verò minore sapientia cautum ab iis fuit, ut illi honores iis solis tribuerentur, qui eruditionem & doctrinam suam bonis & idoneis judicibus probassent. Qua de causâ certamina quædam Litteraria in Juris-Consultorum Collegio instituta sunt, & disputationes adhiberi solitæ, ut qui studiorum suorum fiduciâ freti, præmia illa petere auderent, ingenii sui specimen pro Collegio præberent; quique de sententia cognitorum digni judicati essent, quibus honos haberetur, hi meritâ dignitate ornati ab his dimitterentur. Ob hasce res cùm Dominus Joannes-Josephus *PAGÈS DU CHAUFOUR*, Ricomagensis, Diœcesis Claromontanæ, J. U. Bacc. bonam operam J. U. studio dederit per tempus constitutum ab Edictis & Ordinationibus Regiis, in Juris-Consultorum Collegio Regio productus, ad præsentationem viri clarissimi CLAUD.-F.-JOANN.-BAP.-HENR. PLANEL, Consiliarii & sec. Antecessoris Regii, doctrinam suam universo illi ordini, habitis acerrimis adversus se disputationibus, probarit, summoque omnium illorum consensu dignus habitus sit, qui Juris-Utriusque Licentiaturæ gradum in publico conventu caperet, juxta præfatas constitutiones Regias in Parlamento Gratianopolitano registratas. Nos eum pro Apostolicâ Regia, & Delphinali authoritate nobis attributa Juris Utriusque Licentiatum DE RIGORE EXAMINIS, decernimus, creamus, & pronuntiamus; potestatemque eidem facimus, ut posthàc ubique terrarum ei liceat de Utroque-Jure Consultoribus respondere, cavere, scribere, omni demùm huic honori debito uti & frui. Quod nostrum Decretum ad perpetuam rei memoriam in acta ejusdem Academiæ referri jussimus per Magistrum FRANCISCUM MESANGERE CLEYRAC, Secretarium ejusdem Universitatis, cui mandavimus, ut præfati Decreti copiam & exemplum supradicto D. Joanni-Josepho *PAGÈS DU CHAUFOUR*, quotiès postulabit, præbeat; quod etiam testationis causâ, majore Academiæ nostræ sigillo obsignandum & confirmandum curavimus, præsentibus Magnifico Rectore, Viris meritissimis Antecessoribus & Doctoribus Aggregatis dictæ Facultatis, & Judicibus in actis publicis subsignatis ad hæc vocatis: prolatis & visis per nos litteris attestatoriis morum religionis, & fidei Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ quam actu colit dictus D datis ipsi & concessis per [illegible] juxtà Ordinationem Regiam de die decimâ-quartâ Maii anni 1724. Datum & actum Valentiæ in Delphinatu, die primâ mensis Augusti anno Domini millesimo septingentesimo octogesimo-octavo.

De Mandato dicti Domini mei Vice-Cancellarii,
sic actum, gestum & concessum.

Mesangere Cleyrac